

### 3. Pater dormit (cap. I-III)

Iūlia, filia Iūlii et Aemiliae, est parva puella laeta quae cantat et rīdet. Sed iam nōn cantat puella neque rīdet, sed plōrat: “Uhuhū!” Cūr plōrat Iūlia? Puella plōrat quia Mārcus eam pulsat. Mārcus est puer improbus qui parvam puellam pulsat – et rīdet!

Aemilia audit filiam quae plōrat.

Iūlia Iūlium vocat: “Pater! Pa-ater!”

Māter filiam audit, neque pater eam audit.

Aemilia Iūlium nōn videt et Syram ancillam interrogat: “Ubi est vir meus? Iūlia eum vocat. Cūr nōn venit?”

Syra: “Dominus dormit.”

Aemilia: “Ō! Filia plōrat – et pater dormit!”

Iūlia: “Uhuhū! Mārcus mē pulsat!”

Mārcus rīdet: “Hahahae!”

Pater audit filiam quae plōrat et filium qui rīdet. Iam nōn dormit Iūlius.

Iūlius venit et Aemiliam interrogat: “Cūr Iūlia plōrat et Mārcus rīdet?”

Aemilia respondet: “Mārcus rīdet, quia Iūlia plōrat, et Iūlia plōrat et tē vocat, quia Mārcus eam pulsat. Puer improbus est Mārcus!”

Iūlius Mārcum vocat. Mārcus venit et Iūlium īrātum videt, neque iam rīdet puer. Pater īrātus filium improbum verberat!

Iam nōn Iūlia, sed Mārcus plōrat.

Villa Iūliī est prope Tūsculum. Ab oppidō Tūsculō ad villam Iūliī nōn longa via est. Ecce Iūlius et quattuor servī in viā. Iūlius ab oppidō ad villam suam it. Domi- 20 nus et servī ab oppidō ad villam eunt. Dominus in lectīcā est. Duo servī lectīcam cum dominō portant. Servī qui lectīcam portant sunt Ursus et Dāvus. Iūlius nōn in viā ambulat, servī eum portant. Syrus et Lēander am- bulant. Syrus saccum portat et Lēander quoque saccum 25 portat: Syrus et Lēander duōs saccōs in umerīs portant. Sacci quōs Syrus et Lēander portant magnī sunt, sed saccus quem Syrus portat nōn tam magnus est quam saccus Lēandri. Quattuor servī dominum et duōs saccōs ab oppidō ad villam vehunt. 30

Iūlius in lectīcā est inter Ursum et Dāvum. Ursus est ante Iūliūm, Dāvus post eum est. Syrus et Lēander nōn ante lectīcam, sed post lectīcam ambulant. Venitne Iū- lius ā villā? Nōn ā villā venit. Unde venit Iūlius? Ab oppidō venit. Quō it Iūlius? Ad villam it. Post eum 35 Tūsculum est, ante eum est villa.